

ALLOCUTIO PONTIFICUM, ASCENSURORUM SUAS CATHEDRAS:

FACTA NOMINE

SCHOLARUM PIARUM

SANCTI PONTIFICES! quibus est tribuenda potestas,

Clandere Coelestes et raccare sores;

Jungite concordes in publica commoda dextras,

Et certate, pares, viribus Herculeis.

Unum, Moralis, fundamen, RELLIGIO, orbis,

Traditur in Vestras, consolidanda manus.

BASILIUM, AMBROSIUMque sequi si rite potestis;

Fortia ferrato subdite colla juge.

DIC

Horret

Horret ager spinis, lapidosaque gleba secanda, et
Ense repellendus, qui ad latus hostis erit.
Hostis in immensum numeroque armisque protervus,
Quotidie vires sumit ab arte novas.
Stant vexilla, boant tormenta tubaeque rebelles,
Et prope victrices, JO triumphe! canunt.
Non hic tartarei sunt arma timenda Draconis,
(Dudum ille occubuit sub Cruce CHRISTE Tua)
Moribus, Jngeniisque Hominum, patet aequor arenae,
Arma, Dracone, Homines horridiora gerunt.
Tessera bellorum est, non SECTA SCHOLASTICA discors,
Nigrarum Haereseon. ubere plena Parens
Tessera bellorum, est NATURA; obscurior atque
Mille sophisticis fons et origo dolis,
Cuncta regit .Fatum, Fato ratione carenti,
Jupiter et reliqui succubuere Dil.
Illiud Virtutis sanctum ac venerabile nomen,
Est sensus vacuum, sub pedibusque jacet.

Tali-

4629
XVIII. 2. 1515
<http://rcin.org.pl>

Talibus ora sonant, mulcentur talibus aures.

His sine, compositus non meret aera liber.

Talibus, ohe pudor! sanctus, quandoque, Sacerdos,

Sal et lux populi, denigrat ora probris.

Heu Pietas! heu prisca fides! quo vindice, tanta,

Viribus Herculeis sunt resecanda mala?

Aut vos Pontifices, aut nemo, haec toxica tollat,

Per quae, instar Circes, bellua fiet Homo.

Vobis ingenium, vobis dant astra rotundo

Ore loqui, Vestros Grex capit aure sonos.

Vobis Roma suas tradit laetissima partes,

Optimus hoc cordi REX FRIDERICUS habet.

Accelerate diem! cur gaudia nostra morantur?

Scansuri Sedes, accelerate diem.

Este Decus, Moysis, verbo exemploque, Cathedris:

Lege Sacerdotem stringite, Lege Gregem.

Unum, Moralis, fundamen, RELIGIO, orbis

Per Vestrar fuerit consolidata manus.

Haec

Haec ego vaticinor, Vos intus et in cute noscens,

Sicque ex praeteritis facta futura legens.

Nec Vobis mera vota fero: sed cum Ordine toto

Adjutor tanti Muneris esse volo.

Pascite vos Agnos, Agnellos linquite nobis,

Qui colimus Studiis et Pietate Scholas.

Unum oro, tot et ipse domique forisque gravatus

Vulneribus, Vestro saner ut auxilio.

Onuphrius Korczyński,

In nova Borussia Provincialiſt.



XVIII.2.1515

XVIII.2.1515